

1380 spectu abstulere. Cecidit tumultuaria pugna, quæ sub primum occursum commissa est, Catharinus Corberius, triremis præfectus. Venetus, amisso hoste, Sipontum se recepit, ubi Victor intra paucos dies ingenti omnium turmarum luctu vita decessit. Ferunt nunquam alium gratiorem suis civibus fuisse: quo factum sit, ut vivum illum patronum uno ore omnes dicerent, ac tum defunctum non minus, quam parentem remiges focique navales luxerint. Alovisius Lauretanus ejus loco tam diu classis imperio præfuit, quoad novus Imperator Venetiis crearetur. Pisani corpus domum delatum, frequenti populo Patres ad Antonii ædem magnifico funeris apparatu sepelivere. Ejus sepulchrum circa aram maximam marmore & auro conspicuum visitur. Nullius unquam funus majore luctu & lamentatione est elatum: ita omnibus civitatis ordinibus fuit charus. Patres Carolum Zenum in demortui locum maris imperio præfecerunt: qui duabus triremibus ad hoc ipsum e classe accersitis, primo quoque tempore in provinciam exire jussus est.

*Victor Pisani
nus moritur.*

*Carolus Zenus in Pisani locum
furrogatus
imperium
classis obtinet.*

Sed dum hæc domi studio curantur, Taurisium nihil Venetis exciderat. Interclusis commeatibus, res ad ultimum discrimen spectabat. Id Patres ægre ferentes, dant operam, ut fluminis navigatione aperta, commeatus obsessis subveherentur; navali itaque machina ad palos evelendos constructa, quatuor & viginti Ganzariolas ac pleraque alia ornant navigia: cum iis ac parte copiarum quæ Clodiæ erant, quæque ad præsidium urbis circa portum stativa habebant, Marinus Caravellus, homo impiger, ad aperiendum fluminis cursum est missus. Triplici palorum serie Patavinus hostis ab una ripa ad alteram Silim quasi catena quadam, ea parte qua Casali proximus fuit, junxerat. Cohortibus quæ adversa hosti ripa Musestrum usque ducendæ erant, Sarracenus Dandulus præerat. Est Musestrum ad mille passus Casali, ubi hostis præsidium habebat, propinquum. Huc ubi ventum est, confestim navalis illa machina bellico apparatu instructa cœpit in hostem agi. Sequebatur densa classis, & ad ejus præ-

*Taurisium
longa oppugnatione
fatigatur.*